

**Zeitschrift:** Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum

**Herausgeber:** Litteris Conradi Orellii et Soc.

**Band:** - (1751)

**Heft:** 23

**Artikel:** Origines typographiae Augustanae historico filo deductae a Iacobo Bruckero

**Autor:** Bruckerus, Jacobus

**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-394701>

#### Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

#### Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

#### Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

**Download PDF:** 03.07.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

---

# Origines Typographiæ AUGUSTANÆ historico filo deductæ

a

## JACOBO BRUCKERO.

---

### §. I.

**Q**UAM insignibus de republica patria meritis peperit sibi gloriam antiquissima Romanorum colonia Augusta Vindelicorum, eam post atram barbarie noctem, quæ seculis ætatis mediæ ingenia depresserat, auxisse eo nomine cendum est, quod mature & in ipso quidem renascentium literarum diluculo revocare mentium elegantiam beneque mereri de restituendo ingeniorum cultu studuit, meruitque in Germania inter primas civitates numerari, quas elegantioris literaturæ lux affulxit. Id qua ratione, quibusque medijs & auxiliis effectum sit, alio loco exponetur; heic vero id annotasse sufficit, inter primaria reparandi literarum honoris inter Germanos auxilia artem typographicam recte referri, ei vero amplissimam portam aperuisse Augustam, quamprimum ars divina in vulgus cœpis. set dimanare. Quod quo tempore, quibusque initii factum sit, quos successus habuerit, cum vel plane non, enarraverint, vel variis narratiunculis

culis decepti male tradiderint, qui incunabulorum typographicorum historiam exposuerunt, non integratum fore historiæ literariæ cupidis laborem putamus, si paulo curatius in origines historiæ typographiæ Augustanæ inquisiverimus.

## §. II.

Ne vero in immensum excrescat nostra dissertatio, præsupponenda quædam sunt, quæ extra controversiæ aleam hodie posita esse inter literariæ historiæ gnaros putamus. (a) Nempe neminem censemus in dubium vocaturum esse, artem typographicam per aliquod tempus clam habitam & in ipso formationis atque nativitatis tempore versatam ab anno CIJCCCCXL. ad CIJCCCCCL. post hunc annum demum prodiisse, nec posse ostendi librum typis mobilibus æneisve effectum, qui hunc annum præcesserit. Certum quoque Faustum atque Guttenbergium socios post rixas & dissidia vinculis amicitiæ & societatis ruptis discessisse, hancque ob eam caussam anno CIJCCCCCLV. Argentoratum concessisse. Nec latere putamus harum rerum curiosos, post urbis Moguntinæ expugnationem factam die XXVII. Octobris anno CIJCCCCLXII. dilapsosque cives etiam officinam quasi disiectam sparsosque ministros ejus esse, quos arti suæ inservituros jurisjurandi sacramento ante sibi devinxerat. Post hunc itaque de-

(a) Consulendi hic sunt *scriptores de origine typographiæ*, anno artis seculari tertio laudabili consilio collecti & editi a V. C. CHR. WOLFIO Professore Hamburgensi *tomis duobus*.

mum annum, reipublicæ vel eo nomine salutarem, quod divinam artem innumera renascentium literarum commoditate & utilitate ad communes usus vulgatam esse apud omnes constat, artis typographicæ initia apud Augustanos quærenda esse, in concessis habemus: Illi vero ante plerasque urbes, si Argentoratum exceperis, Augustam patentes aperuisse portas, nemo est versatus in artis hujus historia, qui non fatebitur; quo vero anno id factum sit, incertis hactenus rumusculis definitum est.

### §. III.

Audiendæ sunt istæ narratiunculæ & examinandæ, ut ejectis fabulis paulo certior appareat in hoc argumento historia literaria Augustana. Et turpem quidem prodere rerum in civitate erudita gestarum ignorantiam GILBERTUM COGNATUM, (b) qui Petrum Schœferum Augustanum facit, (c) & conditorem artis typographicæ, nemo hodie forte negaverit. Nec audiendi sunt, (d) qui ad annum CCCCCXLVIII. ejus artis inter Augustanos initia referunt, ducti auctoritate & exemplo libri chiromantici, qui Augustæ a Jacobo Scapio eo anno editus est. Ex iis enim, quæ infra

(b) *Sylv. narr. l. III. p. 278.* ad quem locum passim provocant, qui de Origine Typographiæ scripsérunt.

(c) Ipse enim se vocat Petrum de Germersheim.

(d) Vid. LESSER. *epit. hist. typogr. c. II. §. 23.*

fra in margine de hoc libro dicemus, (e) certum est, tabulis ligneis literulisque immobilibus istum librum fuisse impressum, adeoque Costerianis artis periculis similem, ad hanc proprie quæstionem non pertinere, quanquam ideo memorabilis hic conatus est, quoniam Augustanis ingenii eum honorem vindicat, quod & ipsa de hujusmodi invento cogitaverint, ejusque periculum fecerint, &, quod non sine ratione suspicamur, recipiendæ artis typographicæ occasionem fecerint.

## §. IV.

Non melioris commatis est, quod de editione Bibliorum anno CI<sup>o</sup>CCCCXLIX. Augustæ Vindelicorum in lucem protrusa, ZEILERUS, MALLINKROT, HOTTINGERUS aliique (f) suspi-

A a 3

cati

(e) Prodiit ille liber, quem ex Bibliotheca Ser. Electoris Bavariæ præ oculis præsentem habemus, anno 1448. Auctor est Joannes Hartlieb, Alberti III. Bav. Ducis medicus; argumentum *ci-romantia*, ita enim inscribit *prophœsis ad Annam Brunsuicensem*; ast tabulis ligneis iisque immobilibus insculptus est, non typis mobilibus. Quales libros circa istud tempus passim prodijisse, rerum literiarum non ignaris est in propositulo.

(f) In notissimis libris, quorum loca excerta inseruit *collectioni de Typographia* Cl. WOLFIUS, & indicavit quoque G. FR. MAGNUS Rector olim Gymnasii Augustani in disquis. *de antiquis Scr. S. Versionibus Germanicis Augustæ excusis*, cuius summam dedit TENZEL. in coll. menstr. 1692. p. 693.

cati sunt. Provocant illi ad exemplar editionis istius, quod extat in bibliotheca publica reip. Augustanæ, cui adpieta sunt in fronte operis insignia quædam, cum adjecto anni indice 1449. quæque Fustianæ gentis arma referre videntur. Non enarrabimus prolixè, quid de ista editione, quam multoties nostris manibus trivimus, censem. dum sit, cuncta enim alio loco (g) accurate & ex instituto edisseruimus, ostendendo, nec Fustiana illa insignia esse, nec pertinere istum anni numerum ad significandum editionis annum, quam serius multo prodiisse multis argumentis evicimus. In præsentia sufficit monuisse, demonstratum esse certis rationibus, & in primis Petri Opilionis, si. ve Schoëferi testimonio, ante occupationem urbis Moguntinæ, quam accidisse anno CCCCCLXII. auctores fide digni (h) referunt, Fustii familiares nec dispersos esse, nec artis istius arçana cuiquam aperuisse. (i)

## §. V.

Propius ad scopum ferit B. LOESCHERUS, (k) contendendo, anno CCCCCLXIII. Melchiorrem a Stainhaim, Abbatem Benedictinorum pri. mum fuisse, qui Typographiæ recens natæ apud Augustanos portas aperuerit. Nititur is testimo. nio

(g) In collectan. criticis ad hist. L. Teut. facientibus Tomo V. p. 13. seq.

(h) Vid. TRITHEM. Annal. Hirsaug. T. II. p. 455. seqq.

(i) Idem, ad calc. compendii de origine rerum & gentis Francorum.

(k) Stromat. p. 40.

nio BERNARDI HERTFELDERI, ex priore abbatie istius monasterii, cui basilicam S. Udalrici & Afræ A. V. historice descriptam debemus, qui ad istum annum annotaverit, Typographiam nuper inventam abbatem illum in conventum suum introduxisse. Nihil hujus rei in dubium vocavit Cl. MAITTAIRIUS (l) sine dubio, quod librum istum, rariorem & ceteris vix notum nunquam vidisset. Nec alio forte argumento contendisse videatur Ven. KLEMMIUS, (m) anno CIJCCCCLXIV. [CIJCCCCLXVI. enim, qui numerus expressus est, in mendo cubat] Ulricum Geringium & Martinum Cranziū, ex Officina Fustiana progressos, cum Michaële Friburgero S. Bibliorum codicem Latino idiomate apud Augustanos excusum dedisse. Fatemur, virorum horum doctissimorum auctoritatem prima nobis specie imposuisse, re vero curatius examinata, ipsoque Hertfelderi libro consulto, deceptum utrumque esse luculenter constitit. Dabimus ob raritatem libri ipsa Monachi verba, ita ad annum CIJCCCCLIX. disserentis: (n) *Joanni Hohensteinio abbati sponte cedenti subrogatur communi fratrum consensu Melchior de Stainbaim, vir non tam stirpe, quam animi virtutibus & præstantia nobilis. Is a juventute bonis literis eruditus Viennæ in Austria gravioribus theologiae & pontificii juris studiis operam dedit, immo & meritos honoris titulos ex utroque reportavit . . bibliothecam ampliavit, &*

Aa 4

con-

(l) *Ann. typogr. T. IV. p. 8.*(m) *In descriptione initii & progressus Typographiae in Suevia vernacula edita & . 5. p. 50.*(n) *P. 181.*

conquisitis undique libris tam excusis quam scriptis aucterit. Ut fratres ad literas magis animaret, & otium, perniciem monasteriorum, fugaret, artem impressoriam a Joanne Guttenbergion nuper inventam in conventum suum introduxit. Quibus verbis valde falsus est vir beatus, quod inde colligeret, anno CIJCCCCLXIV. factum id esse, ut Typographiae conamina in isto monasterio excitarentur. Nihil enim aliud isto loco agit scriptor, quam ut more illius ætatis delatus ad Stainhaimium Abbatem ab anno CIJCCCCLIX. quo electus est ad annum CIJCCCCLXXIV. quo fatis concessit, una serie acta ejus paucis summatim describeret; ex quo nihil aliud potest colligi, quam hoc unum, inter utrumque, electionis atque mortis, annum Typographiam in conventu Benediclinorum Udalricano apud Augustanos viguisse. Certiora vero nobis suppeditat, & quam pulchre deceptus sit Lœscherus, in aprico ponit P. CORBINIANUS KHAMM, & ipse istius conventus sodalis & historiæ ecclesiasticæ Augustanæ scriptor, qui acta monasterii consuluit, is enim diserte: (o) Anno CIJCCCCLXXII. Typographiam anno CIJCCCCXL. inventam Melchior de Stainhaim in monasterium introduxit; anno CIJCCCCLXXIV. prælo subjiciens libros dialogorum S. Gregorii Papæ, anno CIJCCCCLXXV. sermones aureos Leonis de Utino, anno CIJCCCCLXXVI.

histo-

(o) In hierarchia Augustana P. III. c. I. f. 29. p. 83. unde miramur quadrata miscuisse rotundis hac re monachum P. I. p. 288. ubi biblia Beuleriana & historiale Vincentii Speculum ad annum 1464. refert, insigni parachronismo.

*historiale Vincentii speculum.* Quo uno testimonio, cum Hertfelderi verbis minime pugnante, tota assertio Lœscheriana concidit. Ita vero & Klemmiana conjectura perit, quæ licet rationem asserti sui non attulerit, nulli tamen dubitamus, quin Lœscheri virum doctum seduxerit auctoritas, assertentis, *Biblia anno CICCCCLXIII.* sine mentione loci vulgata, quibus in fine adjecti versiculi:

*Jam semi undecimus lustrum Francos Ludovicus  
Rexerat Ulricus, Martinus itemque Michaël  
Orti Teutonici hanc mihi composuere figuram.*

ab his Fausti ministris in Benedictino apud Augustanos sodalitio suisse impressa. Quod perperam conjectisse virum eruditissimum, dudum vidit MAITTAIRIUS, (p) recte monendo, rationes chronologicas desumptas ex Regis Galliarum tempore plane Augustæ Vindelicorum non convenire. Notum autem, Typographos istos Ulricum Geringium, Martinum Cranzium & Michaëlem Friburgerum, dictum de Columbaria, a duobus Sorbonæ doctoribus anno CICCCCLXX. Parisios vocatos in ista urbe Typographiam erexit, (q) certumque istam Bibliorum editionem in Gallia prodisse. (r)

A a 5

§. VI.

(p) *L. c. T. IV. p. 24.*

(q) CHEVILLER *histoire de l'imprimerie de Paris* p. 42. seq.

(r) Aliter quidem statuendum, si verum sit, quod Chevillerius contendit, ante 1475. Biblia inter Gallos non suisse excusa. Ast intelligendum hoc tantum esse de Parisiorum urbe, non de

## §. VI.

Evictum nos dedisse putamus, frustra eos esse, qui ante annum CLCCCCLXVI. floruisse apud Augustanos typographicam artem conjiciunt. Certiora vero illi dare hactenus credebantur, qui ad istum annum originem Typographiæ rejiciunt. Plerorumque enim, qui de incunabulis Typographiæ & olim & nuper scripserunt, consensu unanimi traditur, Joannem Bemletum *Biblia Latina* isto anno apud Augustanos excudisse. Hoc si verum & extra dubitationis aleam positum est, inter primos ista Bibliorum editio libros jure suo referri debet, qui extra Moguntiam urbem impressi sunt, eritque Augusta post Argentoratum (s) altera urbs, quæ exilibus typographis asylum sedemque præbuit. Dignum argumentum, quod non incertis rumusculis, sed certis rationibus definiatur. Audiendi itaque testes sunt, quorum auctoritate commotus senatus literarius, decretriam plane sententiam interposuit. Non novimus autem antiquiorem ACHILLE PIRMINIO GASSARO, *annalium Augsburgensium* conditore celebrimo

Galliæ regno, vel ex hac una Subscriptione Bibliorum constare potest.

(s) Prodiisse enim *Bibliorum* editionem Argentorati 1466. excusam a Jacobo Mentellio, cuius exemplar asservatur Stutgardiæ, narrat ven. BENELIUS in *app. critic ad N. T. Gr.* p. 758. Inquidum tamen an typis æneis vel ligneis excusa sit, quod ex inæqualitate typorum facile colligi potest, conf. Cl. VOGT. *cat. lib. rar.* p. 27. Nos enim de libris æneis typis expressis agimus.

rimo, qui diserte tradidit, (t) isto anno Bemle-  
rum Bibliorum Codicem typis expressisse. Secu-  
tus Gasserum est, & exscripsit more suo MARTI-  
NUS CRUSIUS, (u) tandemque cantilenam in  
*Annalibus Suecicis* repetiit: Cujus postea auctorita-  
tem secutus est biographus Joannis Guttenbergii  
MELCHIOR ADAMUS. (x) Hanc virorum do-  
ctorum trigam velut fontes minime inspectos ad-  
miserunt seculo XVII. & XVIII. plerique, qui  
de Typographiæ fatis atque incunabulis scripse-  
runt, inter quos imprimis nominandi PETRUS  
SCRIVERUS, (y) BERN. A MALLINKROT, (z)  
G. FR. MAGNUS, (aa) G. ERN. TENZELLI-  
US, (bb) ANDREAS RIVINUS, (cc) nostro-  
que

(t) *Annal. Augstb. ad h. a. T. I. script. rer. Germ.*  
*Menck. p. 1660.* quem secutus est interpres Ger-  
manicus HARTMANNUS *Chron. Aug. P. II. 213.*  
& hunc CAR. STENGELIUS *Comm. rer. Aug. P.*  
*II. c. 29. p. 243.* & hunc P. CORBIN. KHAMM.  
in *hierarch. Aug. P. I. p. 288.* Cautius generosi-  
simus PAULUS A STETTEN in *historia August. c.*  
*VII. 2. 38. p. 198.* Annum non definit.

(u) *Annal. Suev. l. VII.*

(x) *In vitis philos. p. 2. ed. vet.*

(y) *In Laurea Laur. Costeri c. 8. 12. p. 57. 64.*  
& in *Coll. Wolf. T. I. p. 322. 350. 351.*

(z) *De ortu & progr. art. typ. c. 12. p. 88. Coll.*  
*Wolf. T. I. p. 727.*

(aa) *Diss. supra cit.*

(bb) *Coll. menstr. 1692. p. 667. 695.*

(cc) *In hecatombe chalcogr. p. 19. Coll. Wolf.*  
*T. I. p. 91.*

que tempore MAITTAIRIUS, (dd) JO. FABRICIUS, (ee) CASIM. OUDINUS, (ff) KLEM-MUS, (gg) LESSERUS, (hh) PR. MARCHAND, (ii) aliquie. (kk)

## §. VII.

Nubem testium habemus gravem, si numerum species atque nomina, levis auctoritatis si momentum expendas. Omnibus enim circumstantiis rite expensis patet, ad trigam laudatorum virorum omnem testimonii fidem revocari, quos reliqui postea omnes exscripsierunt. Verum & ista quoque tria ad unius tantum Gassari testimonium referri potest, cum clarissimum sit, eum Crusium pariter atque Adamum exscriptisse. Ergo Gassari narratio dijudicanda est. Et optimæ quidem fide Gasserum annales suos composuisse, nec sublestæ fidei accusari posse, alio loco (ll) certissimis argumentis evicimus; at passum tamen hoc loco Gasserum aliquid humani esse, & vel traditionis incertæ rumore, vel narrantis fide non satis explorata, bona fide sed incauta attentione istam

(dd) *Ann. typogr. T. IV. p. 276.*

(ee) *Hist. bibl. suæ T. I. p. 23.*

(ff) *De S. E. T. III. p. 2744. Coll. Wolf. T. II. p. 890.*

(gg) *L. c. p. 25.*

(hh) *Hist. typ. c. 2. p. 48.*

(ii) *Hist. de l'imprimerie p. 55.*

(kk) *Conf. Amœn. lit. SCHELHORNII T. VI.*

*p. 457.*

(ll) *Miscell. hist. phil. liter. sect. II. obs. 9. p. 9.*

*p. 437.*

istam narratiunculam annalibus suis intulisse, ante hos XXIII. annos jam monuit desideratissimus KRAUSIUS. Provocavit is in *novis*, quæ tunc condebat, *litterariis Lipsiensibus*, (mm) viros doctos omnes, ut hujus editionis existentiam demonstrarent, cum nemo hactenus prodierit, qui vidisse se istam editionem asseruerit, nec in tot, quot perlegerat, veterum editionum incunabula typographica spirantium indicibus sibi missis eam unquam invenerit. Frustra per viginti & quod excurrit annos, expectatum est, cumque nos numero anno in publicis novellis Augustanos & vicos moneremus, ut si ea *Biblia Augustæ* vel alibi locorum inveniantur, ea publice prodantur, frustra nostras quoque preces suisse annum silentium demonstravit. Itaque teste *avlonian* deficiente, ejus quidem rei existentiam merito in dubium vocamus.

### §. VIII.

Rejecta Bemleriana Bibliorum editione alia ejusdem ætatis specimina typographica expendenda sunt, ad quæ provocare solent, (nn) qui sexagesimo sexto seculi XV. anno origines typographicas apud Augustanos vindicant. Duo vero argumenta in medium afferunt, qui ab his partibus stare solent. Provocant ad *Vincentii speculum historiale* anno CIJCCCCLXVI. in Benedictino S. Udalrici monasterio editum; quod si verum est, non inique ad fulciendam epocham Typographiae Augustanæ adhibetur. Verum nihil huic posse deferri

(mm) 1727. p. 492.

(nn) STENGELIUS l. 6.

deferi argumento, ex iis, quæ de *Typographia Benedictina supra diximus*, colligi sine labore potest. Si enim anno demum **CIOCCCCLXXII.** imprimi in isto cœnobio libri cœpere, qui affirmare potest, sex ante annis libros in eodem prælum exercuisse? Aut fictitiam ergo editionem istam esse oportet, aut annus editionis perperam assignatur, quem septuagesimum sextum suisse ex Khammio supra indicavimus. Non tacebitus tamen etiam hanc editionem ab omnibus sileri, qui veteres libri hujus eo tempore famosissimi editiones enumerarunt, **MAITTAIRIUS** enim, qui ex omnibus Europæ angulis editiones istas *avlozgax-*  
*φες* collegit, (oo) primam assignat Kobergerianam Norimbergæ **CIOCCCCLXXIII.** alteramque Moguntinam a Fausto **CIOCCCCLXXIV.** editam. Unde non inepte quis conjiciat, *epitomen ſpeculi hi-*  
*ſtorialis* anno **CIOCCCCXCVI.** Augustæ editam (pp) istius editionis comminiscendæ occasionem suppeditavisse.

### §. IX.

Quam anno seculi decimi quinti supra sexagesimum sexto invenire nequeunt Bibliorum editionem Bemlerianam, eam in annum sequentem sexagesimum septimum conjiciunt viri quidam docti, eoque anno Germanicam Bibliorum versionem ab isto Typographo excusam esse magna fiducia

(oo) *T. IV. P. II. p. 324.*

(pp) **CASIM. OUDIN** *de S. E. T. III. col. 452.* qui putat eundem librum esse cum **HART.** **MANNI SCHEDELI** *Chronico*, perperam, si quid judicamus.

ducia perhibent. (p\*) Provocant illi ad *autoſias*, & reperiri ajunt istam sacri codicis versionem in bibliotheca senatoria Lipsiensi, (qq) Gothana, (rr) Heilsbronnensi, (ss) Stadeniana, Bockelmanniana. (tt) Allegavit eam oculis suis præsentem o *πάντα* DIETERICUS A STADE, Vir de linguae Germanicæ historia atque literatura præclare meritus. (uu) Crederes, decisam plane rem esse, & decretoriam datam sententiam, sed falleris. Qui enim paulo curatius hanc editionem examinarunt, nec Typographum nec annum editionis adjectum esse affirmant. (xx) Unde sola conjectura ducti viri quidam eruditi (yy) cum Lipsiensi exemplari adscriptus manu sit annus CI<sup>0</sup>CCCCLXVII. Gothano LXX. conjecerunt, illud Bibliorum exemplar Augustanum se reperisse, quod anno CI<sup>0</sup>CCCCLXVI. Bemletum sive Bæumlerum excusisse ex Gasseri fide noverant. Non deneganda esset veri similis huic conjecturæ ratio, si vel Augustæ

(p\*) Conf. MAITTAIRE *l. c.* T. IV. p. 277.  
LE LONG *bibl. S. T. II.* p. 186. ed. Lips. JO. FABRIC. *hist. bibl. suæ. T. I.* p. 24.

(qq) Vid. Ven. VOGT. *cat. libr. rar.* p. 98.  
(rr) TENZEL *Colloq. menstr.* 1692. p. 694.  
*nova lit.* Lips. 1727. p. 443.  
(ss) J. L. HOECKER *cat. bibl. publ. Heilsbron.*

p. 113.

(tt) VOGT. *l. c.*  
(uu) In specim. lection. antiq. Francic. p. 22.  
(xx) B. DIECMANN. *specim. glossar. Theotisci* TENZEL *l. c. Nova lit.* Lips. *l. c. VOGT. l. c.*  
(yy) STADE & TENZEL. *ll. cc.*

gustæ nomen vel Bemleri suisset adjectum. At his omnibus deficientibus definire non licet anno non alio loco, anno & artifici volumen illud debatur, quamvis certum sit ad incunabula typographica illud pertinere. (zz)

## §. X.

Per incertas hactenus conjecturas erravimus origines Typographiæ Augustanæ perquientes, ex quibus id unum dubio carere posse videtur, mature, & mox post dispersionem Moguntinam lapsos Fustianæ Officinæ alumnos quosdam Augustam pervenisse, sedeq[ue] fortunarum suarum in ea urbe fixa de erienda Typographia cogitasse. Quod in arte hactenus clam habita & recens excoigitata cum fieri uno alterove mense minime potuerit, & integros annos poposceret, donec erectis prelis opus aliquando excudi imprimis possit, dubium nobis nullum supereft, mox post annum LXIII. seculi XV. receptos nonnullos Fustii familiares apud Augustanos novæ artis officinas præparasse. Id quod vel obiter rem expendenti erit verisimillimum, si ad certiorem jam Typographiæ Augustanæ epocham delati didicerimus, anno LXVIII. revera duos Typographos Joannem Kellerum, & Guntherum Zeinerum Reutlingensem typis libros in hac urbe excudisse. Quod si enim anno octavo supra sexagesimum, & quidem circa ejus initia primosve menses libros revera typis impressos prodiisse demonstrari potest,

(zz) Vid. Catal. bibl. Johannit. Arg. fol. 262.  
quorum pars altera chronologica omnino conferenda.

test, facile inde colliget quilibet, præparationem officinæ, chartarum, matricum, typorum & similium, aliquot annos prius apud Augustanos cœpisse. Incerta quidem hactenus quin ignota hæc epocha & nobis & omnibus fuit, qui de artis typographicæ historia tradiderunt; Ait forulorum excussione tandem a Viris doctis curatius facta manifestum jam atque certum est, anno isto Typographos Augustanos prela sua jam exercuisse.

## §. XI.

Servavit scilicet ab injuria temporis, qua, mirum dictu! pleraque prima artis divinæ specimena evanuerunt, duo exemplaria ipsa Augustanae Typographiæ incunabula præ se ferentia, satum. In Bibliotheca enim Ordinis Equitum Johanniticorum, quæ Argentorati servatur, & cuius indices nuper demum publici juris facti sunt, non sine quadam animi delectatione conspicere est *Vocabularius Latino-Germanicus* Augustæ per Joannem Keller anno CICCCCLXVIII. excusus (zz): Typographus hactenus omnibus & ignotus & indictus, qui cum in annalibus typographicis Augustanis annorum sequentium non compareat, conjectura inde nobis enascitur, aquam illi hæsisse, & vel artis imperfectione, vel sumtuum magnitudine deterritum, vel fato extinctum, cum hoc artis suæ embryone iterum evanuisse. Celebrior alter & in ista Typographiæ Augustanae infantia satis famosus Gintherus Zeiner de Reutlingen, Typo-

Tom. VI.

Bb

gra-

---

(zz) Vid. Catal. bibl. Johannit. Arg. fol. 262. quorum pars altera chronologica omnino conferenda.

graphus Augustensis, quo se nomine multoties in librorum fine subscripsit. Edidit is typis suis hoc anno *Speculum passionis Christi*, cuius notitiam cum elegantissimæ doctrinæ & insignis humanitatis viro Felici OEfelio, qui Serenissimo Bavariae Electori a bibliotheca & consiliis aulicis est, debeamus, qui ex electoralib[us] bibliotheca descriptam mecum benevole communicavit, pace Lectoris ipsa Viri doctissimi verba in epistola ad nos ea de re data afferamus. Ita vero ille: *Præmittitur: prologus in meditationes vitæ Domini nostri Jesu Christi, incipit: inter alia virtutum & laudum præconia de beatissima virginе Cecilia legitur, quod Evangelium Christi semper absconditum portabat in pectore. Finit: impressum est hoc presens opusculum per me Gintherum dictum Zeyner de Reutlingen, III. Idus Marcii anno LXO. octavo. fol.* Exemplar quondam fuit Joannis Alberti Widmestadii, [cujus polyglotti integrum bibliothecam habemus] qui titulum manu sua præscripsit: *Speculum passionis Christi.* In fronte pro illorum temporum elegantia nitide pictum & ornatum; capitales miniatæ, charta densa & lavigata: chartularii Signum duæ claves decussatæ, quod exhibet V. C. C. G. Schwarzius Ex. II. p. 41. n. Vindic. ed. vet. & in libris 1464. excusis reperiri pluribus docet Ex. II. p. 15. Augustæ impressum multa persuadent, et si nomen urbis nondum adjecerit Typographus, nam eadem charta in iis utitur libris, quos anno sequente excudit apposito urbis nomine. Charakterum quoque similitudo & illud mutum oculorum judicium conferentem convincunt. Hactenus Vit doctissimus, qui recte, nisi nos omnia fallunt, Augustæ Vindelicorum hanc editionem vindicavit; nam alio loco Zainerum Typographiam erexisse non constat, & sequente mox anno libros

bros Augustæ vulgavit, quod in sequentibus dicemus. Quod vero urbis nomen nondum adjecterit, neminem morari potest edictum, multo-  
ties locum omisisse veteres primosque Typogra-  
phos, vel quod Moguntinorum ita gloriæ insidiaren-  
tur, vel quod jus civitatis eo in loco nondum conse-  
cuti fuerint, vel quod lites cum librariis & minicula-  
toribus, quod eleganter conjecit cel. OEfelius ex  
nova arte ad incitas redactis, nondum essent  
compositæ, ut alias circumstantias taceamus.

## §. XII.

Quod urgere cœperat Typographiæ opus, an-  
no sequente CIJCCCCLXIX. promovit mire &  
tantum non supra fidem in ea artis infantia Zai-  
nerus. Duo enim nobis innotuere volumina hoc  
anno ab eo impressa. Prioris notitiam laudato  
QEfelio debemus, narranti: *Zainerianis typis pro-  
diisse Augustæ anno LXIX. in fol. Summam M. Joan-  
nis de Allerbach vicarii.* Incipit: *Ad laudem Dei,  
animarum salutem, curatorumque simplicium brevem &  
simplicem directionem infra scripta ex textu juris canoni-  
ci, doctorum dictis, & aliis &c. Finit. Et per quan-  
dam extra vagantem, quæ incipit concertationis anti-  
quæ. Deo gratias. Finit libellus divina Ecclesie Sacra-  
menta quæ numero septem, & alia quam plurima se-  
cum versans persalubria pro viris ecclesiasticis maxime  
curatis, subditorum animabus providere habentibus, cui  
titulus in capite Fulgidus, a Ginthero Zeiner de Reut-  
lingen artis hujus ingeniose magistro in urbe Augustensi  
impressus Feliciter. a partu Virginis salutifero anno cur-  
rente millesimo quadringentesimo sexagesimo nono. Char-  
ta [etiam hoc debemus Cl. OEfeliu] hujus volu-  
minis ejusdem Chartularii signo clavibus videlicet dua-  
bus decussatis insignitur. Alterum, quod Zai-*

neri industriæ debemus, volumen est *Joannis de Janua catholicorum.* Quod cum possideat elegan-  
tissimæ doctrinæ polyhistor CHRIST. GOTTL.  
SCHWARZIUS, occasio inde illi enata est, ra-  
rissimum exemplum curatus describendi. (aaa)  
Quod cum facile consuli possit, non nisi versicu-  
los adjicimus, quibus more ætatis ejus libri finem  
Typographus obsignavit:

*Ultima mensis Aprilis*  
*Dum currunt anni nati factoris in orbem*  
*Mille quadringenti queis sexaginta novemque*  
*Adjice, Vindelica finitur in urbe serena,*  
*Quam Schowenberg tenuit, qui libro præludia dedit,*  
*Titulo cardineus præses ubique coruscus.*  
*Terminat se divus præsul ex Werdenberg altus*  
*Cum Paulo secundo papa, imperante Friderico. (bbb)*

Obiit Petrus Schaumburgicus Cardinalis & Epi-  
scopus Augustanus, XII. D. Apr. CICCCCLXIX.  
successore, quem coadjutorem habebat, Joanne  
Comite de Werdenberg; (ccc) ex quo patet,  
hoc

(aaa) In indice librorum quorundam Sec. XV.  
impressorum, p. 82. De ipso opere consulendi FA-  
BRICIUS, OUDINUS similesque historiæ litera-  
riæ script. eccles. medii ævi enarratores, nec dis-  
tinguendum JO. ABALBIS *catholicum dictionarium*  
a Jo. de *Janua Catholicorum*, quod accidit Ven. KLEM-  
MIO in descr. incunab. typogr. Suev. p. 51.

(bbb) Occurrit etiam iste liber in bibliotheca  
ordinis Johannit. Argent. Vid. catal. alphab. f. 101.

(ccc) CORBIN. KHAMM. hierarch. eccles. P.  
I. p. 286.

hoc quoque volumen jam anno sexagesimo octavo imprimi cœpisse, favente forte & jubente, quod ex his verbis conjicimus, Cardinale.

### §. XIII.

Secuti sunt exemplum Episcopi Senatus Augustanus, & Abbas Ordinis S. Benedicti Ulricanus, Melchior a Steinhaim, et promovendo artem divinitus excitatam, maxime vero Typographos civitatis jure & privilegiis ornando effecerunt, ut anno CCCCCCLXX. florens jam valde & adulta compareret Typographia Augustana. Quem enim tramitem currere cœperat impigre Zainerus, (ddd) eum hoc anno urgere porro graviter perrexit, cuius ab hoc anno nobis plurimum librorum exempla occurserunt, donec anno CCCCCCLXXV. mortalitatis exuvias deponeret, in æde Canonico-rum Regularium Ordinis S. Augustini ad Crucem, ubi perpetuum anniversarium instituit, sepultus. (eee) Quod enim non nemo (fff) tradit, Guntherum post Augustanum prelum Typographiam Reutlingæ exercuisse, & in ea urbe Petri Comeioris historiam scholasticam typis edidisse, ex

B b 3

hoc

(ddd) Natus erat Reutlingæ, quo loco jam 1469. prelum exercuit Joannes ab Auerbach, vid. MAITTAIRE T. IV. p. 201. T. V. p. 137. KLEMM. l. c. 2. 5. p. 51. non autem confundendus cum Joanne Zainero Reutlingensi, Ulmæ 1473. Typographiam inferente.

(eee) Conferenda omnino sunt, quæ ex Rosweido redivivo affert MAITTAIRIUS T. IV. p. 187.

(fff) KLEMMIUS l. c. 2. 9. p. 53.

hoc anno ejus emortuali falsum esse deprehendi-  
tur. (ggg) Quos vero libros Augustæ ediderit Ty-  
pographus famigeratissimus , facile ex catalogis  
bibliothecarum enarrari posset , si id ageremus ,  
ut annales typographicos Augustanos concinnare-  
mus , ad quos amplio satis apparatu præsente uti-  
mum. Verum hanc quidem prolixitatem pagina  
præsens non capit. Unde sufficit ad faciendam  
dictis fidem annotasse : prodiisse ex officina Zai-  
neri *hamartigeniæ finem s. orationem Prudentii ad De-*  
*um* CCCCCLXX. (hhh) Roderici Zamorensis *specu-*  
*lum vitæ humanæ* CCCCCLXXI. *idus Jan.* (iii)  
*Legenda SS. Germanice ,* CCCCCLXXI. (kkk)  
*Ovidii opera* (III) *anno eodem Alb. ab Eub. nonnullæ*  
*CCCCCLXXII. (mmm) Isidorum de responsione mun-*  
di

---

(ggg) Ipse Zainerus in subscriptione Speculi vi-  
tæ anno 1471. editi : *impressum a Gunth. Zainer ex*  
*Reutlingen civi progenito commanenti autem in urbe Au-*  
*gustensi anno 1471. id Jan. vid. bibl. Krafft Theol.*  
208. HÆBERLIN. *ad b. a. sed & anno 1473. Au-*  
*gustæ historiam scholasticam Comestoris edidit, quam-*  
*vis nomen loci non appareat, ut ex serie editio-*  
*num Zainerianarum constat.*

(hhh) MAITTAIRE T. IV. p. 298. Conf.  
THEOPH. SINCERI *observ. de libris rar. P. III.*  
*p. 165.*

(iii) *Bibl. Krafft. T. 208. Hæberlin. b. a. Cat.*  
*bibl. Johann. Arg. f. 225. SCHWARZ l. c. p. 88.*

(kkk) IDEM p. 3. *Thesaur. bibliotb. T. I. P. I.*  
*p. 122.*

(III) *Ibid. p. 167.*

(mmm) *Bibl. Krafft. Misc. n. 96.*

di & astrorum, anno eod. (nnn) *Das gulden Spil*, a.  
eod. (ooo) *Isidori iunioris Hispanensis episcopi ethimolo-*  
*giarum libros numero XX.* CI CCCCLXXII.  
XIX. nov. Petri *Comestoris historiam scholasticam*  
CI CCCCLXXIII. eodemque anno repetitam,  
more ævi, editionem *Speculi Roderici*. Ex quo  
constat ferventibus prelis virum valde industrium  
& insigniter de *Typographia Augustana* meritum  
fata suprema eripuisse. Cui alio quoque nomine  
locus dandus est in illustrium *Typographorum hi-*  
*storia*. Primus enim ille fuit, qui non tantum  
typis aheneis [quam sibi gloriam passim vindica-  
vit] libros exscripsit, sed & figuris ligno incisis  
ornavit. Quales in vitis s. legendis anno CI CCCCLXXI.  
& LXXII. dedit. Unde errant, qui inventas has  
figuras buxo insculptas circa annum demum LXXX.  
seculi Antonio Sorgio tribuunt. (ppp)

#### §. XIV.

Alterum *Typographiæ Augustanæ parentem* da-  
mus Joannem Bemlerum, qui melius Bœmlerus  
& nonnullis Beumlerus, nescio quam bene, au-  
dit. Quem enim supra nominavimus Joannem  
Kellerum, anno CI CCCCLXVIII. prelum om-  
nium primum Augstæ exercentem hoc loco non  
moramus, cum plane nobis non constet, utrum  
imprimendo mereri de *Typographia* perrexerit,

B b 4

nec

(nnn) SCHELHORN. *ad Maittaire T. VI. A-*  
*mæn. p. 68.*

(ooo) *Thes. bibl. T. I. P. I. p. 122.*

(ppp) LOESCHER. *Stromat. p. 285. Conf.*  
*SCHWARZ l. c. p. 3.*

nec ne? Et Bemlerum quidem a plerisque pri-  
mum apud Augustanos Typographos circa annum  
seculi LXVII. poni supra diximus, at rationes  
quoque haud contemnendas adduximus, cur, hæ-  
rere nobis aquam fatendum sit. Illud certum,  
ante annum LXXII. nullum ex ejus officina li-  
brum hactenus, quantum quidem nobis excussis  
bibliothecarum forulis exploratum est, prodiisse.  
Ab eo vero anno frequens satis ejus memoria  
succurrit in libris ab eo editis. Nempe eodem  
anno prodiit *Summa Joannis translata de Latino in  
vulgare*, (qqq) quæ fuit olim in bibliotheca Uffen-  
bachiana. (rrr) Alteroque LXXIII. edita vernacu-  
lo idiomate: (sss) *Chronick und Historie aus den  
Geschichten der Ræmer bey Job. Bæmler*, cujus sub  
titulo: *Historie von den sieben weisen Meistern me-  
minit amicissimus SCHELHORNIUS.* (ttt) Item-  
que: *Das Buch Belial genannt, sive processus iudicia-  
rius Belial contra Christum*, liber notissimus (uuu)  
quem

(qqq) In fine: *Hie endet sich Summa Johannis,*  
*die gezogen ist aus dem heiligen Decretbuch, und von*  
*Latein in Teutsch gemacht durch einen hochgelernten*  
*Mann Bruder Berchtold, Prediger Ordens, und die*  
*hat gedruckt Johannes Bæmler am Freitag vor Michaë-  
lis in der Keyserlichen Stadt Augſburg anno MCCCC*  
*und in dem LXXII. Jahr.*

(rrr) *Bibl. Uffenbach. T. II. App. I. p. 17.*

(sss) *Bibl. Krafft. hist. n. 248.*

(ttt) *Amen. T. III. p. 129.*

(uuu) *Auctor est Jacobus de Anchiarano Archi-  
diacon Anversanus, s. Jacobus de Theramo apud TRI-  
THEM. descr. III. c. 682. prodiit saepius cum ad-*

querri æreis figuris Johannes Bämler in cæsarea urbe Augustensi feliciter atque dignissime perfecit, fol. cum figuris ligno insculptis. Nec omittendum, quod Cel. SCHWARZIUS (xxx) monet, in hoc opere cum literarum primam capitalem, tum alias nonnullas capitales, non manu exaratas pictasque sed jam ligno descriptas esse. Sequutæ sunt annis hunc sequentibus editiones librorum plures Bæmllerianis typis expressæ, quæ tamen non hoc loco, ubi brevitatem sectamur, sed in annalibus Augustanorum typographicis debent enarrari. Id unum hoc loco tangimus, meruisse Bæmllerum non editionibus tantum librorum, sed selectu quoque, & imprimis ad historiam, & politiam reipublicæ respexisse. Debemus enim ei *chronicon imperatorum & regum*, (yyy) vernaculum, Reformationem imperatoris Sigismundi, (zzz) aliaque. (a) Quo vero anno vivere desierit, ignoramus, hoc nobis constat anno seculi istius LXXXVIII. adhuc prelum ejus viguisse, ut ex Nyderi citharis aureis

B b 5

XXIV.

ditionibus Jacobi Ayreri, conf. FABRIC. bibl. Lat. med. T. IV. p. 7. Hamb. Bericht von gel. Sachen 1734. p. 573.

(xxx) Indic. p. 4.

(yyy) Vid LESSER. hist. typ. P. II. p. 48. THEOPH. SINCERI rel. de libr. rar. P. III. p. 145.

(zzz) Idem, p. 34.

(a) Vid. Uffenbach. bibl. p. 23. BUNEMANN. Cat. p. 16. MAITTAIRE T. IV. p. 187. seqq.

**XXIV.** quem tamen librum prius Antonius Sorgius ediderat (b) discere est.

### §. XV.

Tertius, quem antesignanis Typographorum in urbe Augustana circa nascentem artem adnumeramus, est Joannes Schüsslerus, & multitudine & selectu librorum paucis annis editorum reliquis præferendus. Is enim jam anno seculi XV. septuagesimo cœpit libros excudere: Hoc scilicet anno vulgans *Josephi historiographi antiquitatum & do belli Judaico libros*, non scriptorum quidem arte, sed qua nostra tandem ætas dotata est, impressoria scilicet exaratos fol. maj. (c) Debemus ei anno LXXI. *Orosium*, (d) & Petrum de *Crescentiis*, (e) anno LXXII. *Cassiodori historiam tripartitam* (f) *Jacobi de Theramo consolationem peccatorum*, *Opera Joannis de Turrecremata*, (g) alia; Post hunc autem annum cum ejus officina in annalibus typographicis amplius

(b) SCHWARZ. *indic.* p. 21. eum præsentem inter reculas nostras servamus. Prodiit 1484. fol. Conf. Cl. ENGEL. *bibl. libr. rar. P. II.* p. 35. Habet & is literas initiales & paginas jam in fronte numero signatas.

(c) Vid. MAITTAIRE *T. IV.* p. 187. Uffenbach. *bibl. T. II. App. I.* p. 13. *bibl. Krafft. hist. n. 227. bibl. Johannit. Argent. f. 81.*

(d) MAITTAIRE *l. c.*

(e) Ibid. SCHWARZ. *l. c. p. 86. bibl. Norimb. Sauberti.* p. 119. *Beughem incunab. typ. p. 20.*

(f) *Citati CAILLE hist. de l'imp. de Paris p. 28.*

(g) *Bibl. Norimb. Saub. p. 121.*

amplius non compareat, non immērito inde concludimus, vivendo eum huic anno non supersuisse.

### §. XVI.

Omnis tamen sui temporis, & contentione artis, & sumtuum magnitudine, & operum etiam ex parte ingentium multitudine & officinæ dura-  
tione superavit quamvis annis minor Antonius Sorgius, cuius Typographia anno demum seculi XV. septuagesimo quinto Augustæ comparuit. Is enim ad finem usque seculi libros excudisse deprehenditur, certe anno XCVIII. adhuc viguisse Sorgianam Officinam, testis est MAITTAIRIUS. (h) In amplissima vero hac ætatis periodo magnam librorum partem eum vulgasse, nobis non monentibus, quilibet intelligit, qui inexpugnabilem viri istius diligentiam in excolenda arte sua ponderaverit. Posset id amplissimo illorum librorum catalogo demonstrari, qui ex Sorgiana Officina prodiere, & quorum partem haud contemnen-  
dam vidimus ipsi, omnes viderunt & descripse-  
runt, qui in incunabulis Typographiæ delinean-  
dis desudarunt, verum talis locum poscit index in annalibus Typographiæ Augustanæ alio loco & tempore, si occasio faverit, condendis, quam in hac dissertatione, ubi brevitatem sectamur. Itaque paucas observationes ex farragine annota-  
tionum nostrarum attulisse contenti, notamus, I.  
primum

(h) T. IV. p. 213. Henrici de Saxonia, Alberti M. discipuli liber de secretis mulierum per Ant. Sorg. Aug. 1498. memorat bibl. SIMLERI p. 251. PROSP. MARCHAND l. c. p. 332.

primum nobis librum ex Sorgii Officina protrusum in lucem occurrisse Augustini homilias quinquaginta, (i) eodemque anno Catonis *moralia*. (k) 2. Singulis fere annis orbem litterarium novis eum editionibus locupletasse. (l) 3. Maxime eum Typographia sua de sacris litteris meruisse, magnis sumtibus uno anno duas editiones sacri codicis lingua vernacula evulgasse, quas alio loco descripsimus. (m) 4. Etiam juris provincialis fontes, vulgando collectiones legum provincialium celebriores, aperuisse. (n) 5. Tum de moribus bene formandis meruisse, libros morales pro conditione seculi non inutiles prelo vindicando ab obli-

(i) Extat in bibl. publ. Augustana, vid. *cat. Ebing.* p. 72. *Cat. Reiser* p. 96.

(k) SAUBERT *l. c.* p. 127.

(l) Et quidem non uno, sed quatuor, quinque &c. libris. conf. MAITTAIRE *l. c.* qui ejusmodi indicem suppeditare potest.

(m) In *collectaneis criticis ad H. L. Germ. pertinentibus Vol. V.* p. 8. seqq. conf. J. FR. MAGNI disl. de quibusdam bibliorum editionibus vetustis Augustae excusis. Prodiit eorum Bibliorum exemplum 1477. cum & sine anni indicio, & 1480.

(n) E. g. Prodiit ex Sorgiana Typographia Kayser Sigismundi *Reformation* 1476. Conf. SCHOTTTEL. de *L. Germ.* p. 90. *Der Sachsen Spiegel mit der Glossa* 1481. vid. GOEZ. *memorab. bibl. Dresd.* P. III. p. 219. 244. *Das Landrecht* 1480. vid. LEIGH. *de ortu typogr. Lips.* p. 129.

Oblivionis memoria. (o) 6. Etiam Romanos scriptores eosque classicos eum vernacula notiores fecisse. (p) 7. Libros quoque medicos eodem sermone vulgando de sanitate civium tuenda mereri cupiisse. (q) 8. Deberi quoque ei, quantum quidem nobis constat inventionem, paginas vel folia potius numeris ad commoditatem lectorum signandi. (r) Quibus addunt alii, primum typos Germanicos adhibuisse, de quo dubitamus. Ceterum ruditatem typorum, quam primi Typographiæ Sorgianæ anni præ se ferunt, ætas sequens mire emendavit.

### §. XVII.

Superavit Sorgium artis elegantia, librorumque optimorum editione æquavit Erhartus Ratdoltus, qui cum Augustensem se in subscriptionibus librorum ipse nominet, concludimus inde primum eum ex civium Augustæ natorum numero fuisse, qui hanc artem excoluerit: Initia ille societate cum Bernardo Pictore & Petro Loslein de Langencen eorum correctore, artem typographicam nuper Venetiis magna elegantia surgentem amplexus, mira felicitate exercuit. Et anno quidem seculi

(o) E. g. *Nideri Citbaræ* 24. *Solarium animæ* 1478. *Passio C. J.* 1483. *Imitatio Christi* 1486. omnia Germanice.

(p) E. g. *Valerium Maximum* 1489. Vid. *Coll. critic.* Vol. V. p. 552.

(q) *Ibid.* p. 320.

(r) Jam 1484. paginas signasse numero Sorgium ex autographo, quod ipsi possidemus, novimus.

seculi XV. septuagesimo quinto hujus societatis prelum in urbe Veneta viguisse MAITTAIRIUS (s) observavit, annisque fere singulis novae librorum editiones ex eo prodierunt, quod ex indice editio-  
num Ratdoltianarum Maittariano, facili labore, si res posceret, ex nostris observationibus augen-  
do, potest demonstrari. Verum anno LXXXV.  
adhuc Venetiis *Fasciculum temporum*, (t) itemque  
*libellum isagogicum Abdilazi*, qui dicitur *Alchabitius*  
*ad magisterium iudiciorum astrorum* (u) excusisse, li-  
brorum istorum in urbe nostra hodie superstitionem (\*)  
inspectio & testimonia quoque virorum docto-  
rum edocuere. Quamquam autem haec sunt cer-  
tissima, non minus tamen certum est, anno octo-  
gesimo secundo Ratboldum non Venetiis dunta-  
xat vulgavisse *Iginii [Hygini] poëticum astronomicum*, (x)  
sed & Augustæ *Joannis de Sacrobusto Sphaericum opus-  
culum*, (y) unde recte concluditur, Ratoldi di-  
ligentiam duo eo tempore prela exercuisse, Ve-  
netiis unum, alterum Augustæ. (y) Qua in re eo  
magis

(s) *T. IV.* p. 219.(t) *VI. Id. Sept.* ut habet clausula; conf. REI-  
SERI indic. misc. bibl. Aug. p. 107.(u) Vid. MAITTAIRE *T. I.* p. 179. SCHWARZ  
p. 75.(\*) Prior extat in bibliotheca publica, alter  
in bibliotheca collegii evangelici.(x) MAITTAIRE *l. c.* Prodiit quoque ex Ratdolti  
Officina Veneta Pomponius Mela & Prisciani ex Dio-  
nysio de *situ orbis interpretatio eodem anno*.(y) *Bibl. Kraft. misc. n. 177.* & Cl. HÆBERLIN.  
*ad h. l.*

magis confirmamur, quod constet, libros Germanicos, quorum in Italia edendorum ratio tunc nulla fuit, illum his annis exire suisse passum. (z) Anno vero octogesimo septimo & octavo Venetiis desertis in sola patria Typographiam exercuisse, libri hoc anno ab eo editi demonstrant (aa) ipseque in subscriptionibus haud obscure prodidit. Post annum vero nonagesimum sextum, quo missale Romanum excudit (\*) ad nonum seculi sequentis vixisse librosque impressisse deprehendimus,

(z) Testem damus Cl. BUNEMANNUM, qui germanicum Euclidem [Latine Venetiis a Ratdolto 1482. vulgatum, vid. SCHWARZ p. 35. Misc. Lips. T. VIII. p. 85. MAITTAIRE l. c.] in catalogo Seideliano p. 146. 147. occurrere ait cum hac nota: *In Augsburg mathematischen Buchen mit geometrischen figuren gedr. durch E. R. A. 1480.* Idem observatum MAITTAIRIO T. IV. p. 334. & dudum HOESCHELIO in *dedic. Horapollinis.* Ait Venetiis quoque edidit *Auslegung der zehn Gebot*, 1483. vid. THEOPH. SINCERI Coll. P. V. p. 393.

(aa) Prodiit ex ejus Officina Augustana, obsequiale Aug. Vid. Cl. SCHELHORN. Misc. Lips. T. VIII. p. 94. & anno 1488. *Juannis Angeli Astro-labium & Bæthii arithmetica*, quibus & sequentium annorum editionibus subscriptis: Erhard Ratdolt viri solertissimi eximia industria & mira imprimendi arte, qua nuper Venetiis nunc Augustæ Vindelicorum excellit nominatissimus.

(\*) SCHELHORN. Misc. Lips. T. XII. p. 101.

mus, (\*\*)) nullam amplius hujus Typographiæ mentionem deprehendimus, unde fatis eum circa hoc tempus concessisse collegimus. Magnum autem momentum nec minorem gratiam meretur vir famigeratissimus, cum in historia Typographiæ universalis, tum particulari Augustana. Illi enim non typorum modo elegantia & nitor, quo suos contribules multis post se parasangis reliquit, commendationem multam attulit, quo referendum est, quod capitales & initiales, quas vocant, literas, ductibus artificiosis exornatas, florentes appellant, primus invenit & adhibuit: (b) sed primus quoque ille fuit, qui libros mathematicos figuris exornavit, hoc pacto anno LXXX. & LXXXII. Euclidem in vulgus protrusit, quod ipse, ut erat artis suæ arrogans commendator, magnifice in *dedicatione ad Mocenicum*, Urbis Venetæ principem & ducem extulit; (rr) *Alphonsonas* quoque *tabulas* prelo subjecit, (ss) sed & primus ille fuit, qui *Eusebii chronicon* distinctum milio in vulgus edidit. (tt) Et ut verbo dicamus,

ille

(\*\*) *Breviarium Constantiense* enim a Ratdolto 1509. 8. editum recenset *Catal. Bibl. Johan. Ord. Argent.* f. 236.

(qq) *MENTEL. de typ. orig. p. 65.*

(rr) *Ven. 1482. Vid. SCHWARZ. l. c. p. 35.*  
*MAITTAIRE l. c. ubi integra dedicatio exhibetur.*

(ss) 1483. *Vid. Bibl. Krafft. Misc. n. 117. SCHELHORN. Amæn. T. III. p. 135.* eum librum in  
bibl. coll. Ev. præsentem habemus.

(tt) *TH. SINCERI bibl. hist. crit. p. 196.* etiam ille dicto loco Augustæ supereft.

ille fuit Ratdoltus, qui Typographiam Augustanam ad perfectionem & elegantiam perduxit.

## §. XVIII.

Artis pulchritudine non attigit quidem Ratdol-  
tum Joannes Schœnspergerus, Typographus Au-  
gustanus, (uu) nomen tamen diligentia artis, &  
imprimis eo nomine oblivioni eripuit, quod pri-  
mus *Herbarium vernacula cum herbarum & aliis ico-  
nismis coloribus distinctis* (xx) excudit. Meruit ille  
quoque de S. Bibliorum editione, quam vernacula  
vulgavit anno seculi istius nonagesimo. (yy) Vi-  
xit autem anno adhuc seculi decimi sexti decimo  
nono, quo celeberrima *Thurdanckii* fabula ab eo  
denuo excusa est. (zz) In cuius fine cum se senio-  
rem vocet, patet inde filium quoque cognominem  
patris prelo præfuisse. Quate *Josephi Grunbeckii* librum

Tom. VI.

Cc

verna-

(uu) Primum ejus librum reperimus *Speculum Saxonicum*, 1482. ab eo vernacula editum, quod loc. dicto Augustæ asservamus, itemque *Joannis de Montevilla itinerarium* 1482. bibl. Kr. Hist. 305. tum *Passionale sive vitas SS.* vid. bibl. Uffenbach. T. II. App. I. p. 32.

(xx) 1488. vid. bibl. Uffenbach. T. II. App. I. p. 40. anno 1486. adscribit ill. HALLERUS in doctissima præf. ad *Opus Botanicum Weimannianum* 2. 5.

(yy) Bibl. Krafft. Theol. I. 91.

(zz) Ediderat famosissimam fabulam Schœn-  
spergerus prima vice 1517. fol. max. vid. Cat. Uf-  
fenb. l. c. p. 104. & altera vice 1519. vid. Cat.  
bibl. Ebner. millen. II. n. 153. p. 18.

vernacula editum, qui *vaticinia physica & prophetica* continet, & a Joanne Schœnbergero CICXXII. prelo subjectus est, (aaa) patri tribuere non audiemus.

### §. XIX.

Possemus, si id ageremus, plures adhuc his addere Typographos Augustanos, qui ante annum CICIO. typographicam artem exercuerunt Augustæ. Occurrunt enim in annalibus typographicis Augustanis libri editi anno ejus seculi septuagesimo septimo & sequentibus a Johanne Wiener, anno octogesimo octavo & sequentibus a Petro Berger, anno nonagesimo sexto & sequentibus a Joanne Froschovero, anno nonagesimo septimo a Luca Zeissenmeyer, & forte aliis, quos tamen, cum obscuriores manserint, hoc loco prætermittimus. Dicta enim sufficiunt, ut ostendant, vix aliam Germanorum urbem de artis typographicæ incunabulis atque infantia & adolescentia tantum meruisse, quam Augustam Vindelicorum. Quæ cum eandem quoque diligentiam seculo sequente continuaverit, merito his seculis nostri temporis invidiam precamur.

### T A N T U M.

De

---

(aaa) *Ibid. millen. l. n. 198. p. 21.* Quem vero *Gärtneriana Speculi Saxonici editio* in *præf.* nominat *Typographum Augustanum* Joannem Hamerger, & a Schœnbergero distinguere jubet Cl. GOEZIUS in *memorab. bibl. reg. Dresd. Coll. III. p. 219. n. 244.* eum cum hoc nostro eundem putamus. Hamergerum enim *Typographum* hoc anno Augustanum annales nostri ignorant, sed editionem Schœnbergero tribuunt.